FRANCISCI GIANPIETRI

JURISCONSVLTI

ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΙΟΝ

SIVE

DE SPONSALIBVS

COMMENTARIOLVM

EDITIO TERTIA

Auctior et emendatior, et notis opportunis illustrata.

NEAPOLI MDCCCIII

EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA

Superioribus annuentibus.

VIRO AMPLISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

FRANCISCO MIGLIORINI

POTENTISSIMI REGIS NOSTRI

GRATIAE, JUSTITIAE, ECCLESIASTICAEQUE
DISCIPLINAE A SECRETIS

TYPOGRAPHUS

Cum Francisci Gianpietri Jurisconsulti de Sponsalibus commentariolum, nova quadam forma dispositum, atque notis ornatum, in eo sit, ut ex Typographica nostra Officina rursus

edatur; omine valde bono Nomini Tuo dicandum, atque inscribendum duxi: ea potissimum ratione, ut prolixa Tua erga me voluntas, et mea erga Te observantia publice patefieret. Quod si nasutulus quis forte miretur, Te in magno rerum fastigio collocatum, publicisque curis undique distentum, literis meis interpellari: noscat is sane, fas mihi esse apud tantae humanitatis virum accedere confidentissime. Tua enim benevolentia, quae ex admirabili quadam virtutum abundantia promanat, ita cepit cunctorum ani-

mos, ut nihil per id temporis vel convenientius, vel jucundius occurrere mihi possit, quam hominis in Te observantissimi opusculum Tibi offerre; et sortis oblitum meae, de rebus etiam tuis paullo liberius gloriari. Cum enim primus ille tui reditus de Sicula Consultatione rumor est allatus, qui hominum sensa sine fuco manifestat; tanta profecto fuit omnium Tui visendi exspectatio, ut dici vix queat, utrum bonorum contentio in Te laudando, an felicitatis spes in Te recuperando major exstiterit. Alii laudabant praeclara faci-

nora, et aequitatem: alii Philosophum, Jureconsultum, Oratoremque praedicabant: alii vero miram in audendo agendove animi tui tranquillitatem extollebant: omnes, uno verbo, Potentissimi Regis Nostri Sapientiam mirati sunt, qui Siciliarum Regno daturus Ecclesiasticae rei, Gratiae, Justitiaeque virum, ut ajunt, a Secretis, in Te potissimum conjecerit oculos, cujus scilicet singularem scientiam, fidem, dexteritatem jamdiu perspectam haberet. Sed ego jam nimis ultra Typographum. Quod mearum partium fuit in hac edi-

tione exornanda, curavi diligenter, ut Typis nostris aliquando sua dignitas redderetur. Tu vero, vir Amplissime, proba hominis studium, industriamque meam in re tam gravi Typographica occupatam auspicio fove, Tuoque praesidio sustenta. Vale. Data pridie Kalend. April. an. MDCCCIII.

FRANCISCI GIANPIETRI

JURISCONSULTI

AD VIRUM AMPLISSIMUM

BASILIUM PALMERIUM

AULAE SACRI REGII CONSILII PRAEFECTUM ET IN SUPREMO REGNI SENATU QUINQUEVIRUM

EPISTOLA

QUAE nunc typis quorundam amicorum meorum suasione committuntur, SENATOR AMPLISSIME, non sine ratione Nomini tuo auspicatissimo nuncupantur. Collocatus inter summi nominis Jurisconsultos, Oratoresque hac tempestate clarissimos, merito occupasti hominum famam, et publica judicia magnitudine virtutis, et constantia

B

felicitatis meruisti. Profecto nihil Tibi fuit antiquius, optabilius nihil, quam veritatis amor, justitiaeque defensio; inque hac re aliorum praeteritas laudes, quamquam insana gloriola minime inflatus, agendo veluti praeripuisti. Nemo est qui nesciat, quot quantaeque curae sollicitudinesque a Te susceptae sint, celeberrima domi tuae Bibliotheca, importatis undique pulcherrimis libris, exstructa, ut veterem illam philosophicam sive Demosthenicam eloquentiam degustares, quemadmodum in scriptis elucet tuis, atque jurisprudentiam Papinianeam ob humanas vicissitudines pristino nitore destitutam, sartam tectam praestares. Quam ob rem Te, ni fallor, diatribae, praelectiones, decisionesque tuae nostri temporis Papinianum declararunt. Sed cui haec? Dicam verbo, Tu quantus es, totus ferme ex jurisprudentiae ac litterarum fonte es. Rumor tuarum rerum sive voce sive scriptis gestarum ad Invictissimum Regem Fer-

DINANDUM IV. pervenit (cui plane illud Aeschinis insculptum fixumque manet : Ἐὰν μὲν τὰς δωρεὰς ὀλίγοις καὶ ἀξίοις, ἢ κατὰ τοὺς νόμους διδῶτε, πολλοὺς ἀγωνιστὰς ἕξετε τῆς ἀρετῆς. Ἐὰν δὲ τῷ βουλομένῳ, καὶ τοῖς διαπραξαμένοις χαρίζεσθε, καὶ τὰς ἐπιεικεῖς φύσεις διαφθερεῖτε : *Si praemia ac munera paucis, et dignis, et ex legum praescripto dederitis, multos pro virtute certantes habebitis. Si vero volenti cuilibet, ac ambitiose contendenti beneficium feceritis, bona etiam frugique ingenia corrumpetis*) qui Te magnis honoribus brevi cumulavit. Primum M.C. Judicem, et Regali Camerae a Secretis creavit (in quo munere, Deus bone, Te vindice acerrimo, quot Regia jura adserta, et egregie constabilita!) postea in Amplissimum Consiliariorum Senatum cooptavit; mox Aulae Sacri Regii Consilii Praefectum quam honorificentissime renuntiavit, inque Sanctioris totius Regni Senatus Quinqueviros retulit. Quae tunc populi totius gratulatio fuit!

quae recreatio bonorum! quales angustiae temere litigantium! Nonne omnes gravitatem tuam lenitate temperatam, Tui animi candorem, orisque majestatem benignitate conditam uno ore praedicarunt? Tu vero quamvis in ipso rerum humanarum fastigio positus, gravissimisque undique negotiis distentus ab eodem Rege Sapientissimo demandatis, sereno vultu homines postremi ordinis recipis, quique ad Te confidenter accedere volunt, aequo animo faves. Haec cum ita sint, SENATOR AMPLISSIME, jam sentis qua de causa jurisprudentiae alumnus, qui ex umbra domestica exire velit, seque nomenque suum publico judicio subjicere, non ante se dare in discrimen ausit, quam Tuum sibi praesidium et auctoritatem adjungat. Accipe igitur libenter ea, qua soles, humanitate, quae Tuis sub auspiciis in publicum prodeunt, quaeque Tibi tamquam laborum primitiae offeruntur. Si ita, ut spero, pro dignitate personae,

quam sustines, feceris, non has modo pagellas, et me totum Tibi tradam, verum et mihi ad graviora suscipienda stimulos addes. Quod utinam precibus meis annuat Deus! Vale jurisprudentiae jamjam senescentis et columen et decus. Dabam Neapoli postridie Idus April. An. MDCCLXXXIX.

Scripturus de Sponsalibus, quae nuptiarum celebritatem antecedunt, imo earum sunt signacula, SENATOR AMPLISSIME, pauca in ipso veluti vestibulo praefabor. Fuit autem hoc priscis recentioribusque temporibus a multis illustratum fortassis ad fastidium usque argumentum; nos quoque super idem, amicorum potius hortatu, commentariolum, sive, ut more Graeco loquamur, ὑπομνημάτιον in publicum damus. Etsi non dubito plerosque fore, qui adunco naso putidum stomachum in me suum erumpant, cui non dictus Hylas? confestim inclamantes; at equidem, ejectis

profligatisque ardelionum votis, quorum desiderio jamdiu doctrina omnis fit funus, quae dicenda erunt, aperiam. Ac primum celeberrimas (vetusta tamen eruditione quoad potui non praetermissa, imo sparsim custodita) Romanorum leges, quibus sponsalia ad perfectionis culmen perduxerunt, explicare concinna brevitate, ut ex titulo potes agnoscere, mecum una constitui; meoque ab instituto a sacrorum canonum fontibus pauca attingere, prorsus alienum haud reputavi. Nimirum hodie hoc jure fere utimur, ubi de dirimendis hujusmodi controversiis agitur. Placet denique potissimum saniores Jurisconsultos sequi, non tantum quia interpretes exstant, sed ut more nostro fontes potius, quam rivulos consectemur. Ic-

circo (quod felix faustumque sit) arenam sine mora ulla ingrediamur.

§. II. Si veteribus in monumentis improbo labore pervolutis, atque summa cum diligentia observatis, scriptum inveni, sponsalia a spondendo ἔτυμον trahere; eccur non adstipuler? A priscis scriptoribus, ut meo satisfaciam officio, exordiendum. Quamquam scripsere super hoc e veteribus Jurisconsultis Servius Sulpicius, et Neratius Priscus, ut legimus apud Gellium (1), una tamen mentio, eademque opinio fuit, a *spondendo* sponsalia dicta fuisse. Enimvero inveteratus mos priscis temporibus fuit, ut qui uxorem ducturus esset, ab eo, unde ducenda erat, eam in matrimo-

(1) *Lib. IV. noct. Attic. cap.* 4.

nium ductum iri stipularetur; idque qui nuptui daturus erat, sponderet: isque contractus stipulationum, sponsionumque dicebatur sponsalia (a).

(a) Haec eadem prorsus sunt Servii Sulpicii verba, quae A. Gellius l. c. refert. *Qui uxorem*, inquit, *ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat, itidem spondebat daturum. Is contractus stipulationum, sponsionumque dicebatur sponsalia. Tum quae promissa erat, sponsa appellabatur; qui spoponderat ducturum, sponsus*. In quibus explicandis miror, cur aqua haeserit Prousteo, Jac. Gronovio, Hothoni, aliisque A. Gellii interpretibus. Prousteus enim verba illa *ab eo unde ducenda erat* sponsum ipsum respicere arbitratur, atque ita in transversum abit; quasi *is*, *qui uxorem ducturus erat*, idem sit atque *is*, *unde ducenda erat*. Posterioribus his verbis pater, vel tutor significatur, in quorum potestate mulier erat. Ita enim statutum novimus, ut mulieres, si non patria potestate, tutela perpetua continerentur. Quare Cic. pro Mur. 12. inquit: *Mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt*. Hac de causa Sulpicius ait: *Qui uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat* (scilicet a patre vel a tutore illius) *stipulabatur eam in matrimonium ductum iri*. Quid clarius? Porro in formula sponsaliorum semper primas agit Sponsus, qui Patri vel tutori dicit: *Spondesne mihi hanc uxorem?* cui ille respondet: *Spondeo*. Hinc perperam

Quibus Ulpianus et Florentinus, quorum fragmenta in Digestorum lectione [1] occurrunt, adstipulantur, arbitrantes sponsalia a *spondendo* ἐτυμολογεῖσθαι; quinimo *sponsorum sponsarumque* nomina derivasse; propterea quod mos fuit veteribus stipulari, et spondere uxores futuras. Hinc multa in Plauti comoediis exempla idem

omnia miscet Gronovius; cum in allatis Sulpicii verbis frustra emendandis totus est, atque ita ea exponit: *Qui collocaret filiam pater, aut puellam auctor, stipulabatur a proco ductum iri. Procus id ipsum, nempe ab sese domum ductum iri spondebat, et repromittebat:* quod quidem est ὕστερον πρότερον. Id autem ex plurimis veterum testimoniis, et praesertim ab hoc Plauti exemplo in Trin. V. 2. plane eruitur:

> Lys. *Sponden ergo tuam gnatam uxorem mihi?*
> Ch. *Spondeo, et mille auri Philippum dotis.*
> Lys. *Istac lege filiam tuam sponden mihi uxorem duci?*
> Ch. *Spondeo.* Lys. *Et ego spondeo idem hoc.*

(1) *L. 2. et 3. D. de Sponsal. L. Sponsus D. de verb. signif. L. 35. D. de verb. obl.*

confirmantia inveniuntur, quale illud in Aulularia Megadori Euclionis filiam stipulantis:

M. *Quid nunc etiam mihi despondes*
filiam? E. *Illis legibus,*
Cum illa dote, quam tibi dixi. M.
Sponden' ergo? E. *Spondeo.*

Et *sponsus contra sponsum rogatus* apud Varronem occurrit [1]; quod et vir summus Jacobus Cujacius observavit [2]. Quapropter a Flacco discrepamus, qui, Sexto Pomponio teste, arbitratus est, sive potius, ut liberius loquamur, somniavit, sponsarum nomen a Graecis esse ducendum, quoniam σπονδαι, interpositis rebus divinis, fierent. Hac de re multis e Comicis collectis exemplis, abunde dis-

(1) *Lib. V. ling. latin.*

(2) *Commentar. in tit. I. de sponsal. lib. V. Cod.*

seruit Brissonius [1]. Verum ad alia jam accedamus, ac ne inepte in sicco pulvere laboremus, ea tantum huc adducamus, quorum veteribus in monumentis non obscura vestigia supersunt.

§. III. Re quidem vera sponsaliorum veluti species erat stipulatio, utpote sponsalia non per simplicem promissionem, sed per stipulationem *plerumque* fierent. Quod a Sulpicio, eo, quem notavimus, loco, atque clarius ex Arnobio adstruimus [2], quando adversus Gentes fabulosa conjugia Deorum carpens, excurrit: *Uxores enim Dii habent? atque in conjugalia foedera veniunt conditionibus ante*

(1) *De rit. nupt.*
(2) *Lib. IV. adv. gent.*

quaesitis ? habent speratas , habent pactas , habent interpositis stipulationibus sponsas ? Sed non me fugit Servius Honoratus , dum illud Virgilii (1):

Quid soceros legere , et gremiis abducere pactas ?

ita explicat : *id est sponsas* ; quem locum emendatione indigere censuit Hottomannus (2) , admonitus a Suetonio , Plinioque Juniore : quocirca pro *sponsa* reposuit *destinatam*. Praeterea optimo sane consilio iis assentimur, qui verba , *mentio* , et *repromissio* , pro eo quod Graeci dicunt μνηστην , vel μνηστειαν, *postulationem* , *stipulationem*, *repromissionem* interpretantur ; nam μνηστεια est μνημη και ἐπαγγελια

(1) *Lib. X. Aeneid.*
(2) *De sponsal. cap. 3.*

των μελλοντων γαμων. h. e. *memoria*, *et promissio futurarum nuptiarum*; tametsi minus sit promittere, quam spondere, uti ex hisce Senecae verbis constat (1): *Jam non promittunt de te*, *sed spondent*.

§. IV. Verum quorsum sponsalia *plerumque* per stipulationem fieri scribimus? Nimirum antiquitus sola pactione, et nuda voluntate conficiebantur (2): etsi modo pacta, modo destinata, electave sponsa vocabatur, quemadmodum testatur Cicero illis verbis (3): *Nec dubitat Dejotarus*, *cujus filio pacta est Arthanasdis filia*, *quin Euphratem transiturus sit*. Unde

(1) *In epist.* 19.

(2) *L.* 4. *D. de sponsal. L.* 7. *D. eod. V. Nov. Alexii Comn. cap.* 3.

(3) *Ad Atticum ep.* 5.

Suetonius [1] : *Sibique filiam ejus in matrimonium petiit Fausto Syllae destinatam*. Et Plinius scriptum reliquit [2]: *Jam destinata erat egregio juveni, jam electus nuptiarum dies*. Item Juvenalis [3]:

Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis
Non es amaturus.

Porro, ut suspicor, Arnobius huc pergit [4]: *Rex Midas matrimonio ejus suam filiam destinat*; et alibi: *Alienas virgines, jam destinatas, jam desponsatas, rapuit*. Cum haec ita se habeant, quid plura? Scrupulum tamen nobis evellit Hottomannus [5];

(1) *In Julio*.
(2) *Epist. 3*.
(3) *Satyr. VI.*
(4) *Adv. gent.*
(5) *Cit. Op. de sponsal.*

quando adversus Servium dimicavit. Superest, ut transcribamus ea, quae a Philone notantur in libro inscripto Περι της εἰς τα προτ. συνοδου: ubi τα προτελεια των γαμων vocat Ἐλπιδα και τα θυσιων της γαμυς παραστχυτα: *Sponsalia, quae spem nuptiarum celebrandarum porrigant*: Et a Maximo Dionysii Scholiaste (1): Προτελεια μεν ἐκαλυν Ἀθηναιοι τας των γαμων μετα των θυσιων εὐχας; τον γαρ γαμον τελος ἐκαλυν, ὡς τελουντα προς τον βιον των ἀνθρωπων. Μυστηριον γουν εἰχον τον γαμον. Ἐλεγον δε προτελιζεσθαι και το προμυεισθαι και ὁτον ου προκαθαιρεσθαι εἰς ἑτοιμασιαν μυστηριων: Προτελεια *vocant Athenienses vota nuptiarum caussa cum victimis; nuptias vero vocant* τελος, *tamquam perfectam reddentes vitam hominum. Igitur Myste-*

D

(1) *Epist.* 7.

rium habuere conjugium. Dixerunt igitur προτελίζεσθαι *tamquam institui, et initiari ad mysteriorum praeparationem.*

§. V. Jam vero quae *sperata*, *pacta*, *sponsa*? nempe ad antiquitatis cognitionem ea scitu digna arbitror. Siquidem suas addidere interpretationes Nonius [1], et Hottomannus [2]. Si me audies, Nonii differentia non placet, imo reprehendenda. Verum ipsius verba adferamus: *Inter speratam, dictam, et pactam, et sponsam, hoc interest, quod virgo priusquam petatur, sperata dicitur:* Plautus Amph:

> *Amphitruo uxorem salutat laetus speratam suam.*

Apage τȢ παιδοτρίβȢ ridiculam futilemque interpretationem. Quae enim ra-

(1) *De propriet. sermon. p.* 465.
(2) *Cit. Op. de sponsal.*

tio suadet; uxorem jam gravidam, et ad pariendum propemodum vicinam, qualis Alcumena erat, *sponsam speratam* dici? Quocirca Hottomanno adstipulor, ut *sperata* videatur, quae jam petita, sed nondum promissa est; *pacta*, quae nuda conventione promissa; *sponsa*, quae interposita stipulatione [b]. Sed quid

(b) Non ea esse potuit Plauti mens, ut Alcumena perinde *sperata* appellaretur, atque a Nonio, vel Hottomanno vox *sperata* definitur. Quamcumque enim opinionem sequeris, numquam uxori, sed virgini illud convenit ἐπίθετον. Hinc in memorato Plauti loco ea vox latius est accipienda; ut *uxor sperata* sit *uxor exspectata*, et *diu exoptata*. Nisi mavis suspicari, post plurium mensium absentiam tanto desiderio Alcumenae Amphitruonem teneri, ut ea sibi priores *speratae* puellae venustates denuo prae se ferat; adeoque puellaria etiam nomina mereatur. Ceterum discrimen hoc eleganter explicat Gronovius ad Gellii *Noct. Att.* IV. 4. *Primo virgo* Sperata *dicebatur: quum conventa erat conditio*, Pacta*: ubi interpositae stipulationes*, Sponsa. Hinc *Pactae*, subnectit Heinnec. *Antiq. Rom.* III. 16. 20. similes videbantur desponsatis de futuro; *Sponsae* de praesenti. Pa-

moror amplius? Proinde ad alia pro instituta brevitate nostra transeamus. Sane lege cautum erat, ne quis uxorem, nisi prius desponsatam duceret, cujus legis exemplum his verbis reddidit Dion (1): Ε'γημε Λολλιαν Παυλιναν, ἀυτον τον ἀνδρα ἀυτης Μεμμιον Ρ'ηγουλον ἐγγυησαι οἱ την γυναικα ἀναγκασας, μη και ἀνεγγυον ἀυτην παρα τους νομους λαβῃ: *Duxit Lolliam Paullinam, cogens ejus maritum Memmium Regulum suam illi uxorem despondere, ne non desponsam contra leges haberet*. Idemque ex Sulpicio suspicatus est Gellius (2). Quare splendide fallitur Hottomannus, qui secus sentit (3). Sed quid ad

ctas etiam *Conventas* dici consuevisse patet ex Festo: *Conventae dicebantur, cum primus sermo de nuptiis, et earum conditione habebatur*.

(1) *Lib. LIX.*

(2) *Lib. IV. noct. Attic.*

(3) *Cit. Op. de sponsal.*

hunc Donati locum respondebimus? ubi scribit: *Proprie despondi; nam de sponso dicitur, quia spondet puellae pater: despondet adolescentis: et sic* in Adelph. *Qui jam virginem despondi: ubi Micio sponsi pater loquitur*. Verum o frigidam et stomachosam! o vanam importunamque interpretationem! Itane licet sine piaculo jocari cum Hottomanno [1]? Nimirum despondendi verbum saepenumero promiscue accipitur, quemadmodum testis est Cicero illis verbis [2]: *Tulliolam C. Pisoni Frugi despondimus*: Et alibi pro Cluentio: *Tum ille despondit ei filiam suam*: Et de Oratore: *Cum Servius Galba Crassi filiam Cajo filio suo despondisset*. Unde Paullus [3]:

(1) *Cit. Op. de sponsal.*

(2) *Ad Att. ep.* 1.

(3) *L.* 134. *D. de verb. obligat.*

Tempore matrimonii consenserunt, ut filia C. Seii filio Titiae desponderetur. Et Plautus noster etiam in Trinummo:

— *Vostrum berilem filium*
Lesbonicum suam sororem despondisse?
Cui homini despondit?

Omittimus vulgata illa Ulpiani, et Paulli simul loca eo pertinentia [1]; et cetera persequimur. Jam sponsaliorum haec erat formula, qualem legimus apud Comicum in Paenulo:

A. *Audin' tu patrue? dico, ne dictum neges,*
Tuam mihi majorem filiam despondeas.
P. *Pactam rem habeto*. A. *Spondesne igitur?* P. *Spondeo*.
A. *Mi patrue, salve, nam nunc es plane meus*.

(1) *L. 32. D. de donat. int. vir. l. 60. D. de rit. nupt. l. 4. D. de sponsal.*

§. VI. Sed age, SENATOR OPTIME, ex eo, quem sequimur, ordine, sponsaliorum a nuptiis differentiam eruamus. Qua in re praesto occurrit Modestinus in libro *Differentiarum*, qui scribit, eam, quae jam desponsata est, neque forum, neque domicilium mutare; imo non nuptias, sed sperata, pactaque connubia nuncupari [1]. Indeque sponsalibus in contrahendis aetas haud notatur; quod secus est in nuptiis [2]. Verum sequitur etiam nunc convenientia, per quam nuptiarum privilegiis sponsa fruitur; quum (utinam hoc insideret Casuistis nostris!) sponsus adulterii sponsam accusare possit [3]. Et-

(1) *L. ea* 9. *D. ad municip. l.* 6. *D. de sponsal. L.* 13. *D. ad l. Jul. de adult. L.* 2. *inf. de repud.*

(2) *L.* 14. *D. de sponsal. V. cit. comm. Cujac.*

(3) *L.* 11. 13. *D. ad l. Jul. de adult. L.* 9. *C. eod.*

si scio plerosque aliter exponere; nos vero in re non tam perplexa, obscurave hanc sententiam e Philone [1] hauriemus, praesertim cum hujus opinionis adscriptorem habeamus Hottomannum [2]: Μετριον ὑπολαμβανουσι τινες αδικημ' ἐιναι, φθορας και μοιχειας, ὑπογαμιον, ὁταν ὁμολογιας μεν ὑπερεγγυησωσι, μηπω δε των γαμων ἐπιτελεσθεντων, ἑτερος ἀπαντησας, ἡ και βιασαμενος, εἰς ὁμιλιαν ἐλθη. παρ' ἐμοι δε κριτη μοιχειας και τουτ' ἐστιν ἐιδος. ἁι γαρ ὁμολογιαι γαμοις ἰσοδυναμουσιν, ἁις ανδρος ὀνομα και γυναικος, και ταλλα τα ἐπι συνοδοις, ἐγγραφεται: *Sunt, qui medium quoddam crimen esse censent inter stuprum et adulterium, interceptum concubitum; cum post contracta sponsalia, nondum celebratis nuptiis*

(1) *Lib. de cert. leg. ad Decal. pert.*
(2) *Cit. Op. de sponsal.*

alter intervenit, qui vi, aut dolo puellam comprimit. At, me judice, baec quoque adulterii species est. Sponsaliorum enim eadem, quae nuptiarum, vis est, cum viri et uxoris nomina, atque alia quaedam in conventu et frequentia propinquorum perscripta sunt. Idemque ad dilucide confirmandum offert se nunc Concilii Sexti Trullani Canon (1), hac verborum formula conceptus: Ὁ τὴν ἑτέρῳ μνηστευθεῖσαν, ἔτι τοῦ ἀνδρὸς ζῶντος, εἰς γάμον ἀναγόμενος, τῷ τῆς μοιχείας ὑποκείσθω ἐγκλήματι: *Qui alteri desponsam mulierem, eo adhuc vivo, cui desponsata est, in nuptiarum ducit societatem, adulterii crimini subjiciatur.* Porro quoniam tutores sponsalia, quemadmodum et connubia, constituere non

(1) *Can. 98. ap. Bevereg.*

possunt, ac proinde nihil efficiunt, si ad illa finienda nuncium miserunt, dotem tamen promittere, pro modo facultatum augere, atque id genus alia curare minime vetantur (1). Quod de curatoribus est censendum; ipsi enim solam rei familiaris sustinent administrationem (2). Ac proinde, ut Modestinus scriptum reliquit (3): *Tutor factam pupillam suam, nec ipse uxorem ducere, neque filio suo in matrimonium adjungere potest*. Sed jam Marcellini Hermogenis interpretis verba exhibeamus: Νομος μη γαμεισθαι την ὀρφανην, μητε τῳ ἐπιτροπῳ, μητε τυ ἐπιτροπυ παιδι: *Lex est, neque a tutore, neque*

(1) *L. 6. D. de sponsal. L. 5. 61. et 69. D. de Jur. Dot. L. 22. D. solut. matrim. L. 52. D. de oblig.*

(2) *L. 20. D. de rit. nupt.*

(3) *L. 15. D. de sponsal.*

a tutoris filio pupillam uxorem duci posse. Haec de tutoribus, curatoribusque tradita, optima ratione excitavit Senatuscons. Marci Aurelii Antonini et Commodi orationem subsecutum, ne tutorum fraudes in reddendis suae administrationis computationibus tegerentur, neve insontium pupillarum jura sub matrimonii velamento circumscriberentur (1). Quo haud difficulter referenda, quae a Paullo singulari libro perscripta sunt; quaeque alii Jurisconsulti concisis verbis tradiderunt (2). Sed quoquomodo se res habeat, enimvero exceptiones nonnullas in libris Juris invenio (3):

(1) *L.* 59. *D. de rit. nupt. L.* 7. *D. de Adult.*

(2) *L.* 64. 66. *et* 67. *D. de rit. nupt.*

(3) *L.* 36. *D. de rit. nupt. l.* 7. *D. de Jure Dot. l.ult. D. de Divort. l.* 7. *D. ad l. Jul. de Adult. l.* 101. *D.*

nam secus erit, si puella vicesimum quintum annum excesserit, sive in testamento a patre desponsata sit, ejusque filio destinata. Unde illud Comici: *Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem*; et alibi: *Amicum, amatorem, virum in quovis loco paratum*. Ad haec recte illud Homeri conferatur [1]:

Ἕκτορ, ἀτάρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ, καὶ πότνια μήτηρ,
Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.

Hector, tu vero mihi pater es veneran-daque mater,
Et frater, tu autem mihi dulcissimus-que conjux.

de cond. et dem. l. 134. *D. de verb. obl. l.* 6. *C. de Interd. matrim. Cujac. lib. XXXIII. obs.*

(1) *Iliad. VI.*

§. VII. Sequitur nunc, SENATOR ORNATISSIME, ut de parentum quoad sponsalia auctoritate disseramus. Quae sane omnia veluti in nucleo, quid enim verbis opus est? exhibeamus. Sed hem in XII. Tabulis relata lex occurrit, nempe de jure parentum, quam Decemviri legem a Romulo sumpserunt, quemadmodum ex subjectis Dionysii verbis apparebit [1]: Ο' δε των Ρ'ωμαιων νομοθετης ἁπασαν ἐδωκεν ἐξȣσιαν πατρι καθ' ὑιȣ, και παρα παντα τȣ́ βιȣ χρονον, ἐαν τε εἰργειν, ἐαν τε μαςιγȣν, ἐαν τε δεσμιον ἐπι των κατ' ἀγρων ἐργων δαπεχειν, ἐαν τε ἀποκτιννυναι προαρηται .... ϒηζονα δȣς ἐξȣσιαν πατρι κατα παιδος, ἡ δεσποτη κατα δȣλȣ: *Romanorum legislator*, id est Romulus, *omnigenam potestatem*

(1) *Lib. II.*

patri dedit in filium, et quidem toto vitae tempore, sive eum exponere, sive flagris caedere, sive vinctum ablegare ad rusticum opus, sive necare liberit ..... majorem largitus potestatem patri in filium, quam hero in mancipium. Hinc ex jure patrio, filii, qui in parentum potestate erant, sine eorum consensu sponsalia haud contrahebant (1). Sed quorsum id? Ne invito parente suus heres adnasceretur, neve Sacra privata sine eorum nutu adsciscerentur (2). Quapropter non justi, legitimique, verum pro spuriis inde suscepti liberi habebantur, uti tradidit Apulejus *in Asino Aureo*. Sed sponsalibus in contrahendis omnino coëuntium consensus adhibebatur,

(1) *Arg. L. 1. D. de rit. nupt.*
(2) *L. 5. C. eod.*

utpote connubiorum contractus non mere profanus, verum magna ex parte Pontificius, sive sacer erat: propterea quod sponsiones parentum sine liberorum adstipulatione nullius momenti haberentur [1]. Quocirca Terentius peritissime [2].

P. *Hoccine est humanum factum, aut*
inceptum? hoccine officium patris?
M. *Quid illud est?* P. *Pro deum*
atque hominum fidem! Quid est,
si non haec contumelia est?
Uxorem decrerat dare se se mihi
hodie. Nonne oportuit
Praescisse me ante? Nonne prius
communicatum oportuit?

(1) *L.* 234. *D. de verb. obl. l.* 11. *et* 13. *D. de sponsal. l.* 2. *D. de rit. nupt. Hottom. cit. op. de sponsal. V. cit. comm. Cujac.*

(2) *Andr. Sc.* 5. *Act. I.*

Emancipati vero suo arbitratu sponsalia celebrabant, imo legitimas uxores ducebant [1].

§. VIII. Porro an ex Jure Naturali, an Gentium patrius ille consensus promanet, magnis animis disputatur. Exordiamur a Jure Naturali, quod fons est omnium obligationum. Ac primum, ut clarissimi Philosophorum confitentur [2], patrius consensus honestatis est, non vero necessitatis; proinde contrahentium assensus tantummodo exigitur, si modo maturum judicium possidere queant. Unde apud Quintilianum locus ille perelegans [3]: *Nescis nostri*

(1) *L. 25. D. de rit. nupt.*

(2) *Goth. ad d. l.25. D. eod. Hottom. cit. op. de sponsal. Grotius de J. B. et P. lib. II. Pufendorffius de Offic. Homin. et Civ. lib. II., Wolfius, Heinec., aliique.*

(3) *Declamat. 376.*

arbitrii esse matrimonia? affectus nostri vobis non serviunt. Non potes efficere imperio, ut vel amem, quam velis, vel oderim. Itaque hanc nobis legem Paullus [1] pro jam contractis nuptiis explicatam dedit. Quod vero ad Jus Gentium spectat; constat antiquissimos Heroum, quo minus fastu et ambitione abundabant, nulloque effraenae juventutis plausu efferebantur, eo magis parentibus hac in re suis tribuisse. Primum nobis occurrit nobilis Achilles apud Homerum [2], quando Agamemnonis filiam recusat, quia Pater Peleus domi aliam sibi sit adsciturus:

> Πηλευς την μοι επειτα γυναικα γαμεσσεται αυτος.

F

(1) *Lib. II. sent. tit. 19.*
(2) *Iliad. I.*

Peleus mihi tunc uxorem desponsabit ipse .

Unde Briseis [1] maritum occisum deflens :

Ἀνδρα μεν ᾧ ἐδοσαν με πατηρ και ποτνια μητηρ .

Virum sane cui collocarunt me pater et veneranda mater .

Hinc illud apud Musaeum [2] proverbii triti fragmentum :

Ἀμφαδον ὀυ δυναμεσθα γαμοις ὁσιοισι πελασσαι ,

Οὐ γαρ ἐμοις τοκεεσσιν ἐπευαδεν .

Manifeste haud possumus justis jungi nuptiis :

Quandoquidem parentibus meis non placet .

Indeque illud Cyri apud Xenophon-

(1) *Iliad. XIX.*

(2) *Hero v. 179. seq.*

tem [1] : Το τε γενος ἐπαινω και την παιδα, και δωρα. Βουλομαι δε συν τη του πατρος γνωμη και τη της μητρος ταυτα σοι συναινεῖσαι : *Et genus et puellam, et munera laudo. Verum in bisce annuere tibi de patris, deque matris sententia volo*. Plura exempla praetermittimus. Enimvero hic est germanus legum sensus longe simplicior, ac expeditior. Quocirca de vulgaribus Scholasticorum, Casuistarumque tricis [2], minime laboremus.

§. IX. Nunc perge, SENATOR CLARISSIME, mecum parumper alia sponsaliorum impedimenta expende. Quoniam sponsalia contrahentium consensu perficiuntur [3]; iccirco prae-

(1) *Lib. VIII. Cyropaed.*

(2) *V. diss. Muscet. de Spons. cum addit. cl. Mazochii.*

(3) *L. 11. D. de Sponsal.*

sto se offerunt furiosi, mentecaptive, qui ob voluntatis penuriam a sponsaliorum celebratione repelluntur [1]. Neque adeo infantibus, sive septennio minoribus, sponsaliciae pactiones permittebantur. Quod significat Modestinus his verbis [2]. *In sponsalibus contrahendis aetas contrahentium definita non est, ut in matrimoniis. Quapropter a primordio aetatis sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligitur: id est, si non sint minores, quam septem annorum.* Quamquam secus Augustus censuit, qui; Suetonio teste [3], tempus ad habendas sponsas, quoad connubii praemia, coarctavit. Indeque optima ratione

(1) *L. 8. D. eod. l. 26. D. de rit. nupt.*
(2) *L. 14. D. de Sponsal. Leo Novell. 109.*
(3) *In Octavio.*

SC. cautum fuit, ne ultra biennium a contractis sponsalibus protraxissent nuptias, neve ex fraudatis legibus maritorum largitiones perciperent [1]. Qua in re plurima Horatius, ac Propertius luserunt. Verum Dionis verba proferamus [2]: Ὠ'ς δ' ὄν βρεφη τινες ἐγγυωμενοι τας μεν τιμας των γεγαμεκοτων ἐκαρπουντο, το δε ἐργον ἀυτον ὀυ παρειχοντο, προσεταξε μηδεμιαν ἐγγυην ἰσχυειν, μεθ' ἥν ὀυδὲ δυοιν ετοιν διελθοντοιν γαμησει τις. τουτεστι, δεκετην παντως ἐγγυασθαι τον γε τι απ' ἀυτης ἀπολαυσοντα. Δωδεκα γαρ ταις κοραις ἐς την του γαμου ὡραν ἐτη πληρη, καταπερ ἐιπον, νομιζεται: *Quoniam autem quidam infantes puellas despondentes praemiis quidem conjugum fruebantur, ceterum effectum rei, et conjugum opus non prae-*

(1) *Gravina de leg. et senatusc.*

(2) *Lib. LIV. Zon. tit. 2.*

stabant; *ea sponsalia vires nullas habere constituit*, *post quae duobus transactis annis sponsa duci minime posset* : *hoc est*, *ut omnino decennis virgo desponderetur*, *siquidem ex ea commodi quid capere sponsus vellet*. *Duodecimo enim anno virgo matura viro*, *et nubilis*, *ut jam ante dixi*, *existimatur*. Quae quidem etiam a Caji (1) ad L. Juliam Poppeam dictis subolent.

§. X. Ex hoc aetas sponsaliorum legitima, id est decennalis, eruitur, utpote Romani XII in feminis, inque maribus XIV annum generationi aptissimum arbitrati (2) sunt (c). Qua

(1) *L. 17. D. de sponsal. Cujac. lib. XVI. obs.*

(2) *Cujac. ad d. l. 14. de Sponsal. et in cit. comm. C. tit. eod. Macrob. lib. VI. Saturn. Suet. in Octav.*

(c) Ab Homero in nuptiis rite obeundis laudatur *pubertas*. Hinc Odyss. X. v. 6. Aeolus suos filios, filiasque *ἡβώοντας*: *pubescentes* matrimonio conjungit:

in re Proculejani cum Cassianis, Javoleno duce, dimicarunt [1]. Porro quam cordata sunt, quae de Lycurgo, ac Romanis tradidit Plutarchus [2]! *Τȣ μεν Λυκȣργȣ πεπειρȣς και οργωσας νυμφευοντος, οπως ἠτε ὀμιλια, δεομενης ἠδη της φυσεως, χαριτος ἡ και φιλιας ἀρχη μαλλον ἡ μισȣς και φοβȣ παρα φυσιν βιαζομενου, και τα σωματα ῥωμην ἐχη προς το τας κυησεις ἐπιφερειν, και τας ὠδινας, ὡς ἐπ' ȣδεν ἀλλο γαμȣμενων ἡ το της τεκνωσεως ἐργον, των*

Του και δωδεκα παιδες ἐνι μεγαροις γεγαασιν.
Εξ μεν θυγατερες, ἑξ δ'υἱεες ἡβωοντες.
Ἐνθ' ὁγε θυγατερας πορεν υἱασιν εἰναι ἀκοιτας.
Hujus et duodecim liberi in aedibus nati sunt;
Sex quidem filiae, sex autem filii pubescentes.
Ibi ille filias dedit filiis, ut essent uxores.

Sic Iliad. XI. v. 225. Iphidamanti Cisses dedit filiam

. . . *ἐπει 'ρ' ἡβης ἐρικυδεος ἱκετο μετρον.*

. . . *postquam ad pubertatis gloriosae pervenit mensuram.*

(1) *Hottom. de ritu nupt. Instit. quib. mod. tut. in princ. l. ult. C. quando tut. vel curat.*

(2) *In Numa*.

δη Ρωμαιων δωδεκαετεις και νεωτερας ἐκδιδοντων. ὑτω γαρ ἀν μαλιϛα και το σωμα και το ἠθος καθαρον και ἀθικτον ἐπι τῳ γαμουντι γενεσθαι. δηλον ὑν ὁτι το μεν φυσικωτερον προς τεκνωσιν. το δη ἠδικωτερον προς συνβιωσιν : *Lycurgus maturas et viri appetentes elocat, quo ea consociatio, impellente jam natura, benevolentiae et amoris potius, quam odii et timoris contra naturam coactarum esset initium, corporaque firmiora essent ad ferendum uterum, atque enitendum, tamquam ad nihil aliud nuberent, quam ad pariendum* (d). *Romani natas duodecim annos et minores jungunt matri-*

(d) Atqui Eustathius laudatos ab Homero pubertatis annos *καιριον γαμον* h. e. tempestivas nuptias significare docet, *ὁτε δηλαδε φιλτατος ἀν ἐιη τῃ νυμφῃ ὁ γαμετης, και ἡδυς ἐν τοις ϛρωμασιν. οὑπερ κατα τον Ὁμηρον χαριεσατη ἡ ἡβη και ἡδεια*. h. e. *Quoniam tunc sponsus carissimus est sponsae, et in lecto suavissimus. Unde suavissimam Homerus dicit pubertatem, maximeque jucundam*. Eustath. ad Hom. Iliad. XI. vers. 225. pag. 840. lin. 37. seq.

monio, *ita potissimum corpus et mores puros illibatosque in manum viri censentes perventuros*. Verum facete illud Lysistratis apud Aristophanem [1]:

ΛΥ. Περι τωνδε κορων ἐν τοις θαλαμοις
γηρασκουσων ἀνιομαι.
ΠΡ. Οὐκουν γ' ἀνδρες γηρασκουσιν; ΛΥ.
Μα Δί, ἀλλ' οὐκ εἰπας ὁμοιον.
Ο' γαρ ἡκων μεν, καν ᾖ πολιος, ταχυ
παιδα κορην γεγαμηκεν.
Της δε γυναικος μικρος ὁ καιρος, καν τουτο μη 'πιλαβηται,
Οὐδεις ἐθελει γημαι ταυτην, ὀττευομενη δε καθηται.

LY. *Pro virginibus autem, quae in thalamis veterascunt, maceror.*
PR. *Nonne etiam viri senescunt?*
LY. *Sane quidem non eadem haec sunt:*

(1) *Lysistr. pag.* 858. *edit. Amstelod.*

Nam vir procus, etsi sit canus, cito
teneram puellam nuptum accepit:
Mulieribus autem brevis aetas, imo
ne hac fruantur,
Nemo vult ducere illas, vaticinantes
vero sedent.

§.XI. Quid vero de senibus? Profecto cum sexagesimum annum attigerint, lex Papia fibulam illis imposuit, nisi jus trium liberorum impetraverint [1]. Quae omnia optima ratione ab ipsomet Augusto instituta sunt, *ut absumptam bellis civilibus urbem nova sobole, constitutis praemiis, repleret* [2]. Homines quidem LX annos nati, mulieres L ad generationem, sive ad Reipublicae potius repletionem, futiles, ineptique reputantur [3]. Quo facto dos caduca

(1) *Lactant. lib. 1. de falsa Relig.*

(2) *Briss. de Jure connub.*

(3) *L. 21. D. de act. emt. l. 12. C. de legit. hered.*

erat, fiscoque cedebat; quemadmodum censuit S. C. Calvisianum. Verum hanc connubiorum prohibitionem S. C. Claudianum minime exegit, cujus fragmentum apud Ulpianum habemus (1). Idemque Suetonius (2) insinuat, inque Caesarum vita hujus S. C. monumentum reliquit. Porro usque a priscis temporibus intempestiva, importunaque senum conjugia vocabantur (3). Nempe matrimonii finis frustra in illis est; uti Aristoteles (4), ac Plinius (5) tradiderunt. Hinc optime meo judicio illa Stobaei (6) fragmenta recitantur:

(1) *Tit. XVI.*
(2) *In Claudio.*
(3) *Plutarch. in Solone.*
(4) *Lib. I. et VII. de Nat. animal.*
(5) *Lib. VII. Natur. hist.*
(6) *Serm. 190.*

Μοχθηρον ἐςι ἀνδρι πρεσβυτῃ τεχνα
Διδωσιν ὁςις. ὐκεθ' ὡραιος γαμει
Δεσποινα γαρ γεροντι νυμφιῳ γυνη:
Οὔτοι συμφορον ἐςι γυνη νεα ἀνδρι γεροντι;
Οὐ γαρ πηδαλιῳ πειθεται ὡς ἀκατος
Οὐ δ' ἀγκυραν ἐχουσιν, ἀποῤῥηξασα δι δεσμον
Πολλακις ἐκ νυκτων ἀλλον ἐχει λιμενα:

Molesta res est, si homini seni liberi
Contigerint. Non tempestivae amplius sunt nuptiae.
Uxor enim senis sponsi domina est:
Incommoda est uxor juvenis viro seni.
Non enim gubernaculi instar navis regi potest;
Nec anchoris detineri: sed, abruptis funibus,
Saepius de nocte alium portum habet.

§. XII. Jam quid dicendum de spadonibus? Ipsi enim sponsalia contrahere minime queunt. Quam sententiam, licet ab illo Hispano de Manzano [1] rejectam, adprobante Gothofredo, fulcit opinione sua Cl. Gravina [2]; putans quoque a lege Papia Poppaea insinuatam fuisse. Quare non falsus est Claudianus [3], cum ominosis verbis ita Eutropium Spadonem derisit: [4].

Numquam mater eris, numquam pater: boc tibi ferrum,
Hoc natura negat.

§. XIII. Porro qui nuptias, iidem et sponsalia contrahere possunt [5];

(1) *Ad l. Jul. et Pap.*
(2) *De leg. et senatusc. cap.* 41.
(3) *Lib. I. v.* 223.
(4) *Claud. in Eutrop. l. I. v.* 223.
(5) *L.* 60. *D. de rit. nupt.*

exceptis Provinciarum Praesidibus, eorumque filiis (1). Unde inter solos cives Romanos sponsaliciae pactiones fiunt, uti verbis ita conceptis testatur Seneca (2): *Promisi tibi filiam in matrimonium: postea peregrinus apparuisti. Non est mihi cum extraneo connubium*. Quocirca Romani (3) severissime in M. Antonium debacchati sunt, utpote: Ἔπειτα τὴν ἀστὴν καὶ δικαίως γαμηθεῖσαν ἐξήλασε, τῇ ξένῃ καὶ μὴ κατὰ νόμους συνούσῃ χαριζόμενος: *Postquam civem, et legitime nuptam exegit, cum peregrina autem et non secundum leges nupta consuevit*. Nunc intelligimus quomodo Campani petiere (4), ut sibi Romanas uxores ducere liceret.

(1) *L. 38. D. eod.*
(2) *Lib. IV. de Benefic.*
(3) *V. Plutarch. in ejus cum Demetrio collat.*
(4) *Liv. lib. XXXVI.*

Quo in explicando haud injuria Justinianum, sive mea quidem sententia potius Tribonianum, Sigonius emendat [1], duce Strabone, Dionysioque Halicarnasseo. Quid igitur mirum, si Patribus cum plebeis connubia haud fuerint: quemadmodum apud Livium [2] conqueritur turbulentissimus Canulejus? *Hoc ipsum, ne connubium Patribus cum plebe esset, non Decemviri tulerunt paucis his annis pessimo exemplo publico, cum summa injuria plebis? an esse ulla major, aut insignior contumelia potest, quam partem civitatis, velut contaminatam, indignam connubio haberi? quid est aliud, quam exilium intra eadem moenia, quam relegationem pati? ne affinitatibus, ne*

(1) *De antiq. Jure civ. Roman.*
(2) *Lib. IV.*

propinquitatibus immisceamur, *cavent*; *ne societur sanguis*, *cavent*. Quod etiam de Senatoribus cum libertinis Julia [1] lex *de maritandis ordinibus* decrevit. Praeterea cum lenonibus, lenis, iisque, qui artem ludicram exercebant, sponsalia, et connubia haud contrahebantur [2]. Idem putandum est de iis, qui sanguinis ejusdem erant [3]. Praeterea huc Plutarchi *in Romanis quaestionibus* verba pertinent: Προτερον ὐκ ἔγαμȣν τας ἀφ' αἱματος, ὥσπερ ὐδε νυν τιττιδας, ὐδε ἀδελφας γαμȣσιν· ἀλλ' ὀψε συνεχωρησαν ἀνεψιαις συνοικειν: *Prius*, id est Romani, *non accipiebant in matrimonium quae sanguinis ejusdem erant*, *ut ne nunc quidem amitas*, *aut mater-*

(1) *Paullus ad l. Juliam. et Papiam. Brissonius de Jure connub.*

(2) *L. 43. et 44. D. rit. nupt.*

(3) *L. 53. et 68. D. eod. Hottoman. de ritu nupt.*

teras, aut sorores accipiunt: sed sero consobrinarum nuptias permiserunt. Quo etiam verba Quinti Julii Calenii in Ciceronem spectant [1]: Και προτεπ και το σωμα αυτȣ διαβαλλειν επεχειρησε, τοσαυτη ασελγεια και ακαθαρσια παρα παντα τον βιον χρωμενος, ωςε μηδε των συλλενεςατων απεχεσθαι, αλλα την τε γυναικα προαγωγευειν, και την θυγατερα μοιχευειν: *Os etiam Antonii turpitudinis insimulare instituit, ipse per omnem vitam in tantam libidinem et impuritatem projectus, ut ne a proximis abstinuerit, uxorem prostituerit, cum filia incestum commiserit.* Quid multa? Plura pro re nata disseruit Brissonius in suo eruditionis referto opere de jure connubiorum.

§. XIV. Nec dum finitus Orestes.

(1) *Dio. lib. XLVI.*

Superest, SENATOR PRAESTANTISSIME, ut sponsaliorum ritus videamus. Qua in re haud pauca scitu pulchra antiquis in monumentis occurrunt. Primum notissimum est, priscis temporibus sponsalia noctis tempore, perraro accedente prima hora lucis, caelo tamen claro ac sereno, contrahi consuevisse [1]. *Nam*, auctore Servio [2], *secundum Etruscam disciplinam, nihil tam incongruum nubentibus, quam motus terrae et caeli.* Quamquam fulmen nuptiarum omen bonum faustumque fuisse testetur Claudianus [3] de Raptu Proserpinae:

Confessus generum nimbis Hymenaeus hiulcis

(1) *Ab Alexandro genial. dier. lib. II.*
(2) *Ad lib. IV. Aeneid.*
(3) *Lib. II.*

Intonat, et tristes firmant connubia
flammae.

Saepenumero sponsaliorum, uti nuptiarum, solemnitates in pleniluniis habebantur. Qui Graecorum mos vetustissimus fuit (e), quemadmodum

(e) Plenilunium celebre apud veteres Graecos fuisse constat tum ob alias causas, tum praesertim quia *ἐν τῃ πανσεληνῳ* faustum quidpiam, et fortunatum inesse existimabant. Patet ex Homero, hymno *εἰς σεληνην* vers. 12.

. . . διχομενος, ότε πληθει μεγας όγμος,
Λαμπροτατας τ' αυγαι τοτ' ἀεξομενης τελεθωσιν
Ουρανοθεν· τεκμωρ δε βροτοις και σημα τετυκται.
Mensem-bipartiens, quando plenus est magnus globus,
Clarissimique splendores tunc adultae sunt
Caelitus; signum autem mortalibus, et portentum est.

Quia vero inter sponsalia dies futuris Nuptiis dicebatur, oportuit infaustos dies cavere, et nonnullam ex faustis praeligere. Infausti fuerunt: cujusque mensis Kalendae, Nonae, Idus: cujus rei rationem videre est apud Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 15. tum Feriae universae; Februarii dies parentalibus consecrati, festi anciliorum dies; totusque Majus. Fausti vero dies putabantur apud Graecos, ut diximus, Plenilunia. Hinc apud Euripid. in Iphigenia in Aulide vers. 117. Agamemnon ab uxore Clitemnestra rogatus quando filiae suae vellet nuptias celebrari, respondet:

ex Pindaro liquet [1] :

—— Ἐν διχομηνίδεσσι
δε ἑσπεραις, ἐρατον
λυοι κεν χαλινον, ὑ-
φ' ἡρωϊ παρθενιας.

—— *In pleniluniis*
autem vesperi, amabile
solvet fraenum sub
heroë virginitatis.

§. XV. Jam vero Romanis mos erat, ut nihil facerent, nisi captatis auguriis. Quam ob rem sponsalibus in contrahendis Cornicum omina ab Auspicibus summa cum religione captabantur; propterea quod

Ὅταν σεληνης εὐτυχης ἐλθῃ κυκλος.
Quando lunae fortunatae venerit circulus.

Porro apud Romanos etiam fausti habebantur qui dies Idus Junias sequuntur: ut ex Ovid. liquet fast. lib. 6.

Tunc mihi post Sacras monstratur Junius Idus
Utilis et nuptis, utilis esse viris,

(1) *Od: VIII. Isthm.*

Cornicum ea societas est, ut post amissam conjugem alii non jungantur; uti multa hac super re concessit concivis, et noster commilito politissimus Alexander ab Alexandro (1). Adhaec illa inter modulos nuptiales relata verba (2): *ἐκκόρει κόρη κορώνην* (f).

(1) *Genial. dier. lib. II. Brissonius de rit. nupt.*

(2) *Aelian. lib. III. Animal.*

(f) Non inficiamur Cornicem Concordiae Symbolum fuisse; sed adeo sinistra, et male ominosa haec avis vulgo habebatur, ut certam fidem animus haud suadeat praestare Aeliano, qui testatur *lib. 3. cap. 9. Animal.* audisse se, veteres olim in nuptiis post Hymenaeum Cornicem vocare solitos fuisse. Quam Aeliani sententiam plerique Eruditi amplexi sunt, uti Angelus Politianus Miscell. c. 67. Hadrianus Junius lib. 1. animad. c. 1. Gyraldus Hist. Deor. synt. 1. aliique quamplurimi. Certe cornix Plinio *ales* dicitur *inauspicatae garrulitatis*, *inauspicatissima foetus tempore*, *hoc est post solstitium*, *lib.* 10. *c.* 12. Et Virgil. Eclog. 1. *Saepe sinistra cava praedixit ab ilice cornix*. Hinc *cornicis* vocabulum probrosum, et *cornicari* contumeliosum putabatur. Hor. lib. IV. Od. 13. Martial. lib. X. Epig. 67. Pers. Sat. V. Quin Naso ipse in obscaenis avibus eam posuit. Amor. lib. II. Eleg. 6. Quare peroppor-

Unde apud Ciceronem scriptum invenitur [1]: *Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus, funestis ominibus*. Et apud Virgilium [2]:

Cui pater intactam dederat, primisque jugarat
Ominibus.

tuna videtur Heinsii emendatio in versu 21. Eleg. 2. lib.II. Tibulli: ubi illa verba:

Huc veniat Natalis avis, prolemque ministret,

quae vulgo de Cornice accipi solent, sic ille corrigit:

Hac venias Natalis avi, prolemque ministres.

Qua avi intelligitur Amor, de quo superioribus versiculis Poëta cecinit:

. . . . *Viden ut trepidantibus advolet alis,*
Flavaque conjugio vincula portet Amor?

Quod si liceat non levi conjectura Aeliani, aliorumque sententiam infirmare, vocabulum *κορωνη* inter festivitatem, ac petulantiam nuptialem repetitum, non recte ab eisdem intellectum arbitramur. Vox enim illa non modo *cornicem*, sed etiam viri *το αἰδοιον*, et proprie *βαλανον* significat. Hinc facile cuivis patebit nuptialis illius carminis obscaenitas dum turba occineret: *ἐκκορει κορη κορωνην*. h. e. *excutit puella το πεος*.

(1) *Pro Cluent.*

(2) *Lib. I. Aeneid.*

Deinceps divae Junonis patrocinium invocabatur, ut idem Poëta significavit (1):

Dîs equidem auspicibus reor, et Junone secunda,
Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.

Igitur recte Ovidius (2):

Junonemque, toris quae praesidet alma maritis.

Graeci vero, antequam nuptiae celebrarentur, Diis victimas mactabant, ut ex Dialogo Agamemnonis cum Clytaemnestra apud Euripidem (3) demonstratur:

Κλυ. Προτέλεια δ' ἤδη παιδὸς ἔσφαξας Θεᾷ;

(1) *Lib. IV. Aeneid.*
(2) *Epist. Phillidis ad Demophoont.*
(3) *Iphigenia in Aulide vers.* 718.

Αγα. Μελλω γ' ἐπι ταυτῃ καθεςαμεν τυχῃ.

Κλυ. Κἄπειτα δαιτεις της γαμους ἐςυστερον;

Αγα. Θυσας γε θυμαθ', ἁπερ μ' ἐχρην θυσαι Θεοις.

Cly. Jamne mactasti Deae initiales victimas nuptiarum filiae?

Aga. Mactabo: nam in hoc negotio jam sumus occupati.

Cly. An vero deinde celebrabis convivium nuptiale?

Aga. Cum mactavero victimas, quas me Diis immolare oportet.

§. XVI. Porro qui Sponsaliorum celebrationi aderant omine, valde bono *Auspices* (g) dicebantur, qui etiam

(g) De hac voce a nativa sua ad hanc significationem traducta ita loquitur Cic. de Divin. I. 12. *Nihil fere quondam majoris rei, nisi auspicato, ne privatim quidem ge-*

Pronubi, *Proxenetae*, Παρανυμφοι veteribus in monumentis nuncupantur [1]. Quae cum ita sint, notante πολυγραφωτατῳ Tiraquello [2], merito a plerisque Alexandri sententia, qui aliter docuit, reprobatur. Verum Juvenalis versus transcribamus [3]:

—— Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur, et ritu decies centena dabuntur
Antiquo: veniet cum signatoribus auspex.

Et Lucani [4]:

I

rebatur: quod etiam nunc Nuptiarum Auspices *declarant, qui, re omissa, nomen tantum tenent.*

(1) *Alexander cit. op. genial. dier. Valla lib. VI. Elegant. Hotoman. Brisson., aliique.*

(2) *Ad genial. dier. Alexand. lib. II.*

(3) *Satyr. X.*

(4) *Lib. II. Pharsal.*

Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui,
Junguntur taciti, contentique auspice Bruto.

Auspicum autem officium erat, ut omnia in tabulis conventa redigerent. Hinc signatis tabulis convivae, ni fallor, certo aliquo modulato carmine inclamabant: *Feliciter* (1). Quarum quidem tabularum ea vis fuit, ut si quando rumperentur, sponsalia quoque irrita exstarent. Quod patet ex Tacito, cujus heic verba appingimus (2): *Ne domum, servitia, et ceteros fortunae paratus reposceret, frueretur imo iis, et redderet uxorem, rumperetque tabulas nuptiales*. Juvenalis (3):

—— *Tabulas quoque ruperat.*

(1) *Marcerus ad cit. op. Alexand. cap.* 5.
(2) *Annal. lib. XI.*
(3) *Sat. IX.*

§. XVII. Verum enimvero veteres conjugium liberorum veluti seminarium reputarunt. Quocirca nubentibus mos fuit apud Auspices profiteri liberorum procreandorum caussa sese nuptias appetere. Audiatur Cornelius Tacitus (1): *Cum uxore Principis, praedicta die, adhibitis, qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum caussa convenisse*. Cui consonat Festus, qui in vocula *quaeso* hunc Ennii versum refert:

Ducit me uxorem sibi liberûm quaerendûm gratia.

Et Plautus in Capt.

Liberorum quaerendorum caussa ei uxor data est.

Et Varro, ut relatum accepimus a

(1) *Annal. lib. XI.*

Macrobio [1] : *Mundus cum patet, Deorum tristium, atque inferûm quasi janua patet: propterea uxorem liberorum quaerendorum caussa ducere, religiosum est*. Sane eodem respicit illud Menandri apud Clementem Alexandrinum [2] : Παιδων σπορῳ των γνησιων διδωμι σοι γε την ἐμαυτȢ θυγατερα: *Liberis procreandis legitimis do tibi meam filiam*. Quibus quidem ad fastigium usque peractis, mox qui contracturi erant inter se solemni verborum formula stipulabantur. Quorum exemplum complectitur Comicus in Trinummi verbis superius memoratis [3]:

Ly. *Sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi?*

(1) *Lib. I. Saturnal.*
(2) *Lib. II. Stromat.*
(3) *Pag.* 19. *not.* (a)

Ch. *Spondeo: et mille auri Philippum dotis.*

Et paulo post Lysiteles denuo respondens:

Isthac lege filiam tuam sponden' mihi uxorem dari?

Ch. *Spondeo.*

Ly. *Et ego spondeo idem hoc.*

Nonnunquam ipse pater filii nuptias despondebat; ut legitur de Simonide Pamphili patre in Andria Terentii (1):

Si. *Quid verbis opus est? hac fama impulsus Chremes*
Ultro ad me venit, unicam gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem ut daret.

(1) *Act. I. Scen. I.*

Placuit : despondi . Hic nuptiis dictus est dies .

Deinde sponsores sinceri perpetuique amoris gratia coram Auspicibus mutuam fidem per *suavium* , junctisque dextris jurabant . Ecce tibi Ovidius :

Promisit pater hanc , haec et juravit amanti .

Quam ob caussam Achilles Clytemnestrae manum cum sua conjungit in Euripidis Iphigenia (1) :

—— δεξιαν γαρ ἐμη χειρα
Συναψον , ἀρχην μακαριαν νυμφευματων .

—— *Dextram meae manum*
Adjunge , felix principium desponsationis .

Ex quo Gregorius ille Nazianzenus (2) :
Των νεων τας δεξιας ἀλληλαις τε ἐπιβαλλω ,

(1) *Iphig. in Aul. vers.* 831.
(2) *Epist.* 57.

και ἀμφοτέρας τῃ τȣ Θεȣ: *Juveniles dexteras inter se conjungo atque utrasque Dei manui*. Claudianus in Epithalamio Palladii, et Celerinae:

> *Tum dextram complexa viri, dextramque puellae*
> *Tradit, et bis ultro sancit connubia dictis.*

Sed cur *suavium*? Etenim φιλειν τῳ στοματι, ſive *labellis labella jungere*, aut impudicum, aut prorsus religiosum erat; proindeque veteres alterum *suavium*, alterum vero *osculum* nuncuparunt [1]. Scite Plautus in Curculione tradit:

> *Qui e nuce nucleum esse vult, frangit nucem:*
> *Qui vult cubare, pangit saltem suavium.*

(1) *Hottoman. de vet. rit. nupt.*

Et Teocritus (1):

Ἐςι και ἐν κενεοισι φιλημασιν αδεα τερψις:

Est et inanibus suaviis dulcis oblectatio.

Osculum tamen in salutationibus, ac adorationibus et Graeci, et Christiani nostri adhibuerunt. Sic enim Priamum manus Achillis deosculantem inducit Homerus (2):

Τυς δε λαθ' εισελθων Πριαμος μεγας; ἀγχι δ' ἀρα στας

Χερσιν Ἀχιλλησς λαβε γυνατα, και κυσε χειρας

Δεινας, ἀνδροφονυς, ἁι οἱ πολεας κτανον υἱας:

His latuit ingrediens Priamus magnus; prope vero stans

(1) *Idyll. XXVIII.*
(2) *Iliad. XXIV.*

Manibus Achillis prehendit genua,
et osculatus est manus
Terribiles, homicidas, quae ei multos interfecerant filios.

Nec aliter de Christianis sub lucis ortum preces Deo offerentibus testatur Lucianus his verbis (1) : Και ἀνδρι, ἐπειδαν ἑωθεν ἀναςαντες προσευχονται τον ἡλιον, ὀκ ὥσπερ ἡμεις την χειρα κυσαντες ἡγουμεθα ἐντελη ἡμον ἐιναι την εὐχην, ἀλλ᾽ ἐκεινοι: *Et viro, quando mane surgentes solem adorant, non sicut nos manum osculantes putamus nostram adorationem perfectam esse, sed illi.* Constantinus vero Imperator osculum sponsalicium refert in *l.* 5. Cod. Theod. *de sponsalibus, et ant. nupt. donat.*; cujus explicationem elegantissimam simul, ac

K

(1) Περὶ ὀρχησιος.

eruditam petere utilius licebit ab altero prope Cujacio, Jacobo nimirum Gothofredo [1].

§. XVIII. Jam porro, ut ex diverticulo in viam redeamus, sponsus annulum pronubum, quasi pignus initae sponsionis, sponsae mittebat. Rem luculenter indicat Plinius [2]: *Qui legationem acceperant, aureo annulo tantum utebantur; intra domos, ferreis. Quo argumento etiam nunc sponsae annulus ferreus mittitur, isque sine gemma*. Porro Tertullianus annulum aureum sponsae oppigneratum memorat in Apologetico: *Circa fęminas illa majorum instituta ceciderunt, quae modestiae, quae societati patroci-*

(1) *Ad cit. L. 5. C. Theod. de sponsal. et ant. nupt. donat.*

(2) *Hist. natural. lib. XXXIII.*

nabantur: quum aurum nulla membra norant, praeter unicum digitum, quem sponsus oppignerasset pronubo annulo. Ideo jure optimo Alexandrinus (1): Διδοασιν ουν αυταις δακτυλιον εκ χρυσιου ουδε τουτον εις κοσμον, αλλ' εις το αποσημαινεσθαι τα οικοι φυλακης αξια, δια την επιμελειαν της οικουριας: *Dant illis annulum aureum, non ad ornatum; sed ad obsignanda, quae domi digna sint custodia, propter curam rei domesticae.* Verum praeter annulum alia munera sponsae a sponso, et raro sponso a sponsa (h) da-

K 2

(1) *Paedag. lib. III.*

(h) Sponso si non munera, convivium vicissim a Sponsa, sive ab hujus parentibus praeberi in more fuit: quod ipsum *sponsalia* nuncupatum. Hinc Cicero II. ad Q. Fr. 6. scribit: *Ad VII. Id. Apr. Sponsalia Crassipedi* (cui fuerat Tullia desponsata) *praebui. Huic convivio puer optimus Quintus tuus meusque, quod perleviter commotus fuerat, defuit.* Adde pari ratione nuptias ipsas graece uno

bantur; quae modo arrhae, modo proxeneticae, sive sponsaliciae largitates appellabantur. Quem morem ex Capitolino scimus, ubi de Maximino Imperatore scribit: *Desponsa illi erat Junia Fadilla, proneptis Antonini, quam postea accepit Troxotius, ejusdem familiae Senator. Manserunt autem apud eam arrhae regiae, quae tales fuerunt, monolium de albis novem, reticulum de prasinis decem, dextrocherium cum castula de hyacinthis quatuor, praeter vestes auratas, et omnes regias, ceteraque insignia sponsaliorum*. Quae eodemque *του γαμου* vocabulo *Convivium* fuisse vocitatas. Quare Pollux lib. III. c. 3. §. 44. ait: *Ομηρος μεν τοι, οὐ το εργον μονον, ἀλλα και την ἑστιασιν, γαμον καλει*: *Homerus sane non modo rem ipsam, sed et convivium nuptias vocat*. Sic Odyss. I. vers. 226.

Εἰλαπιν᾽, ἠε γαμος; ἐπει οὐκ ἐρανος ταδε γ᾽ ἐςιν.

Convivium, an nuptiae? quoniam non symbolum (h. e. coena collatitia) *haec sunt*.

omnia a deosculata sponsa ob praemium delibatae virginitatis lucrabantur. Quam sententiam, Jurisconsultis omnibus adprobantibus, solidioribus nervis tuetur Duarenus (1). Quantam vero vim ad virginitatem delibandam habeant oscula, docet Ovidius (2):

Oscula qui sumpsit, si non et cetera sumpsit,
Hoc quoque, quod sumpsit, perdere dignus erat.

§. XIX. Ceterum sponsores non parum negocii in dote constituenda posuerunt. Quippe ea semper ab iis, qui non modo jure patrio, sed etiam pietatis officio puellas dotare tenebantur, ut ex capite XXXV. Legis Pa-

(1) *Comment. in tit. 7. de donat. propt. nupt.*
(2) *Lib. I. amor.*

piae, et ex Jurisconsulto Marcello [1] colligitur, ad sustinenda onera matrimonii coram Auspicibus aut dabatur, aut dicebatur, aut promittebatur. Dabatur, Domitio Ulpiano teste [2], cum praesens erat dos, non quod ea statim traderetur viro; sed pridie nuptiarum, aut circiter, apud Auspices deponebatur, ut in crastinum nuptiarum viro solveretur; at vero si dos praesens non fuisset, ea aut dicebatur, aut promittebatur [3]. Hinc vetustioribus Romae temporibus virgines sine dote concubinatum potius, quam matrimonium contrahebant; quinimo infames reputabantur, ut Plautus notavit in Trinummo:

(1) *L. 19. D. de ritu nupt.*
(2) *L. 7. D. de Jure dot.*
(3) *Hotoman. de Vet. ritu nupt.*

Sed ut inops infamis ne sim, ne
mihi hanc famam differant,
Me germanam meam sororem in
concubinatum tibi
Sic sine dote dedisse magis, quam
in matrimonium.

Quare recte Cyaxares gnatam suam Cyro Persarum Regi potentissimo despondet his apud Xenophontem verbis (1): Διδομαι σοι, ὠ Κυρε, ἀυτην ταυτην την γυναικα θυγατερα τε ὀυσαν ἐμην, ἐπιδιδωμαι δ' αὐτῃ ἐγω και φερνην Μηδιαν πασαν: *Cyre, tibi eloco in uxorem hanc meam filiam, et pro dote totam Mediam do* (i).

(1) *Cyropaed. lib. VIII.*

(i) Apud Homerum Andromacha dicitur πολυδωρος *bene dotata*, quod magnam attulerit Hectori dotem. Iliad. VI. vers. 304. Agamemnon etiam Achilli filiam amplissime dotatam pollicetur:

------- Εγω δ' ἐπιμειλια δωσω.
Πολλα μαλ', ὁσσ' οὐπω τις ἑη ἐπεδωκε θυγατρι.
------- *Ego vero dotalia dona dabo*

Apud Athenienses, ex vetustissima Solonis lege, puellae omnes parva cum dote elocabantur. Juvat heic adscribere ejusdem Solonis legem, quae ita e veteribus reliquiis concinnatur (1): Ἱματια τρια, και σκηύη μικρȣ νομισματος ἄξια, ἑτερον δε μηδεν ἐπιφερεσθαι την γαμȣμενην τας φερνας: *Tres tantum vestes, et vasa aliquot non magni constantia, sponsa ad maritum deferto in*

Permulta, quot adhuc nemo suae dedit filiae.
Odyss. VII. vers. 314.

Hanc dotem soluto matrimonio referre solitas uxores patet ex Odyss. II. vers. 132. ubi Telemachus inter alia incommoda, quae a matris dimissione metuit, hoc etiam recenset, quod cogatur Icario ejus patri dotem restituere:

-------- Καλον δε με πολλ᾽ αποτινειν
Ἰκαριω, αἰκ᾽ αυτος ἑκων απο μητερα πεμψω.
-------- *Enimvero durum me multa luere*
Icario, si ipse volens matrem dimisero.

Quod quidem Imperatorum sanctionibus cautum apud Romanos, *lib. V. Cod. tit. soluto matrimonio, quemadmodum dos petatur.*

(1) *Potterus Archaeolog. lib. I.*

dotem. Quae legis vis tametsi tractu temporis consuetudine cum aliarum virtutum simplicitate penitus exoleverit; ejus tamen vestigium, nisi mea me fallit opinio, plane fluxit in Germanorum, Longobardorumque *phardesium*; de quibus plenius et subtilius apud Muratorium in libris Italicarum Antiquitatum.

§. XX. Sed jam, DOCTISSIME SENATOR, ne opus procedat longius, neve inutili verborum copia obruatur, vela colligamus. Sequioribus enim temporibus, pulsis propemodum antiquorum caerimoniis, sponsalia pure, sub conditione, et in diem contrahuntur. Nec quidquam refert consensus expressus ne sit, an tacitus; neque minus si per episto-

lam, an per aliam quamlibet personam, puta procuratorem, vel patrem pro filio respondentem, exprimatur. En verba Jurisconsulti Ulpiani ad Edictum Praetoris (1): *In sponsalibus constituendis parvi refert, per se et coram, an per internuncium, vel per epistolam, an per alium hoc factum est: et fere plerumque conditiones, interpositis personis, expediuntur.* Praeterea in Ecclesia Orientali sponsalia, ut Alexius Imperator statuit (2), per sacram ἱερολογιαν peraguntur. Legis autem haec verba sunt: Τας τιαυτας μνηστειας ἀμετακινητους τε διαμενειν, και ἀδιασπαστους, και τον ὁλον ἀλυτους, ἁτε Θεου μετον των συναπτωμενων ἑιτυνοντος του βιου συναρμογην, δια των ἱεροτελουμενων ἐυχων: *Eu.*

(1) *L. 18. D. de Sponsal.*
(2) *Const. de Sponsal. n. 4.*

Sponsalia firma, inconcussa, insolubilia maneant, quippe quum Deus arbitrum se et auctorem seu mediatorem inter eos, qui conjunguntur, interponat, et primam hanc vitae conjunctionem per sacrarum precum initiationem confirmet. Ex quo apud Latinos medio fere saeculo XI. etiam invaluit mos, ut sponsalia benedicerentur; quemadmodum eleganter observavit vir ingenio, doctrinaque clarissimus Carminus Fimianus [1].

§.XXI. Jam vero ita contracta sponsalia mutuam obligationem contrahendi matrimonii parturiunt. Quam ob rem olim, ut animadvertit Sulpicius, actio sponsi in sponsas dabatur; nunc vero si alteruter sponso-

(1) *Elementa Juris Canonici lib. II.*

rum statuto tempore a voluntate recesserit, merito auctoritate Judicis per carcerem, perque censuras ecclesiasticas cogitur [1]. Ceterum ab hoc, sive Jure Civili, sive, ut dicunt, Pontificio, variis ex caussis excipiuntur I ii, qui communi dissensu sponsalia dirimunt, quamvis sint jurejurando vallata; II qui haeresim sequuntur; III qui apostasiam amplectuntur; IV qui in paralysin, lepram, inque notabilem deformitatem, ac furorem incidunt [2]; V qui Reipublicae caussa in longinquas peregrinationes abeunt, ibique per biennium, ac triennium morantur. Quod ad l. Juliam innuit etiam

(1) *Cap. ex litteris et requisivit de Sponsal.*

(2) *Cap. 2. de Sponsal. l. 66. D. pro socio Cap. ult. de conjug. lepr. Gravina inst. juris canonic. tit. 10.*

Gajus [1]: *Saepe justae ac necessariae caussae non solum annum, vel biennium, sed etiam triennium, et quadriennium, et ulterius trahunt sponsalia, veluti valetudo sponsi, sponsaeve, vel mortes parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quae ex necessitate fiunt*. Et haec pro instituta brevitate de Sponsalibus satis. Vale interim, SENATOR AMPLISSIME, meque adamare, resque meas, sicut antea pro antiqua benevolentia consuesti, fovere perge.

---

(1) *L. 17. D. de Sponsal.*

Die 17 Octobris 1803

Reimprimatur

VECCHIONE.